



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXIX. De Congregatione pro erectione Ecclesiarum, & provisionibus
Consistorialibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

tionis usque ad Sententiam &c. exclu-
sivè.

8. Per hanc Congregationem visitat
Papa, non ut Papa est, & Pastor uni-
versalis Ecclesiæ, sed ut Episcopus est
particularis Urbis & Diocesis Romanæ,
proindeque quæ in ea Visitatione statu-
untur, & ordinantur, non conficiunt
legem generalem pro universo Orbe.
Possunt hæc tamen, & debent norma
esse, & regula reliquis Episcopis, & Or-
dinaris, juxta quam in Visitationibus De-
creta sua, & ordinationes forment, *card.*
de Luca disc. 61. n. 9. de Regul.

CAPUT XXIX.

De Congregatione pro Ere-
ctione Ecclesiarum, & Pro-
visionibus Consistoria-
libus.

1. *In quem finem instituta sit hæc Congregatio.*
2. *Quod sit munus illius.*

I.

Instituit Sixtus V. *Const. 74. Immensa.*
Congregationem Cardinalium pro ere-
ctione

A a a

ctione

744 *De Con. pro Erect. Eccl. & Pr. Conf.*
tione Ecclesiarum, in qua quæ ad erigendas novas Ecclesias spectant, examinentur, & provideatur iisdem de Episcopis & Pastoribus idoneis & fructuosis operariis.

2. Munus ergo illorum Cardinalium est inprimis cognoscere de legitimis causis novarum Ecclesiarum quarumcunque, ac de earundem dote, Capitulo, Clero, Populo aliisque quæ ad ejusmodi erectiones ex præscripto Concilii Tridentini necessaria erunt. Deinde examinare omnes difficultates circa hæc incidentes, & controversias, quæ cum aliis jam erectis Ecclesiis oriuntur; Item examinare & discutere uniones Ecclesiarum & Monasteriorum, dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum assignationes super earum redditibus, Monasteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, præsentationes, & nominationes, electionum sive postulationum confirmationes, seu admissiones; Suffraganeorum Coadjutorumque deputationes, cum futura Successione, sive absque eadem Successione, ac demum ætatem & qualitatem promovendorum; Quæ omnia discussa & examinata referre deinde

inde debent ad Pontificem, ut pro illius arbitrio in Consistorio Secreto juxta formam consuetam proponantur.

CAPUT XXX.

De Congregatione pro Consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici, quæ Consulta dicitur.

1. *Instituta à Sixto V. aliam nunc formam habet.*
2. *Qui constituent hanc Congregationem.*
3. *Quod sit Officium Prælatorum, & Præfecti.*
4. *Ubi & quando habeatur Congregatio.*
5. *Quod sit officium hujus Congregationis.*
6. *Potest pœnas injungere & mitigare.*
7. *Est Tribunal seculare.*
8. *Ad quæ loca extendat se facultas hujus Congregationis.*
9. *Omnia gratis expediuntur.*

I.

INter cæteras Congregationes, quas instituit Sixtus V, in Constitutione sua

